



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 25. Sanctus Carolus Romam delatus, atque a Pontifice exceptus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1575.

cembris Romam contendit, ubi pœnitentis peregrini more hoc iter instituit, simulque aeris inclementiæ, quam tolerare cogebatur, continuum etiam ad-  
 junxit jejunium, haud aliis occupatus negotiis, quam assiduis ad Deum orationibus: præterea se rerum divinorum contemplatione lactavit, semperque cum illis, qui itineris focii erant, sacra de Deo colloquia miscuit, nonnunquam a via devius, ut cuncta sacratiora templa, ad quæ loci propinquitas invitabat, lustrare, atque ante solis ortum rem divinam peragere valeret. Porro iter suum absque ulla cibi refectione semper usque ad seram noctem protrahebat, nonnisi in villis, atque ignobilioribus hospitibus diversatus, ubi persæpe nonnisi mucidi panis frustum accipere poterat, ac non raro in stramentis pernoctare perpetim cogebatur.

§. XXV.

*S. Carolus Romam delatus, atque a Pontifice exceptus.*

Itaque Borromæus vigesima prima Decembris die Divo Thomæ Apostolo sacra Romam pervenit, ibidem singulari veneratione, & benevolentia a summo Pontifice exceptus. Hic etiam cum eo de variis consultabat mediis, quibus per

*Giuss. l.c.*

Sæcul. XVI. per totum anni sacri tempus Romana  
A.C. 1575. urbs solida morum sanctitate efflorescere  
 posset, quam in rem Cardinalis suam  
 pandebat mentem, mox tamen ad Car-  
 thusianorum cœnobium sanctæ Mariæ  
 ab Angelis sese recepit, ubi jejniis,  
 orationibus, aliisque vitæ austeritati-  
 bus sese ad percipiendas jubilæi gratias  
 disponebat, ac præmittens generalem  
 suarum noxarum expiationem, omnia  
 sacra loca pedes, ac quædam nudis e-  
 tiam pedibus lustrabat, comitantibus  
 eum illius domesticis, qui bini, ac bini  
 incedentes, ac orationibus intenti cor-  
 poris maceratione pietatem redolebant:  
 si vero sanctus quempiam, etiamsi Prin-  
 ceptus, aut amicorum præcipuus esset,  
 salutatum accedere cerneret, unice pi-  
 leum suum coram eis detrahebat, ac  
 non interrupta oratione iter suum pro-  
 sequebatur, cum vero Marcus Anto-  
 nius Columna, & Fabritius ejus Filius  
 Borromæum ad sancti Pauli Ecclesiam  
 extra muros euntem obviam haberent,  
 eumque salutaturi curru descenderent,  
 hic perinde, ac si eos non conspexisset,  
 pertransibat; eadem quoque ratione erga  
 suam sororem Fabritii Conjugem, quæ  
 cum suo Marito, ac focero aderat, ute-  
 batur, nec magis comiter sese exhi-  
 bebatur erga Parmæ Ducem intimum a-  
 micum suum: nihilominus tamen hi  
 Pro-

Proceres a deo non exinde offendebantur, ut potius hoc exemplo ad pietatem accenderentur. Præterea Carolus Cardinalis præter hæc exteriora Religionis exercitia largas effundebat elemosynas, atque ad tituli sui ædes apud sanctam Praxedem Mediolanenses peregrinos, aliosque plures externos hospitio excipiebat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1575.

§. XXVI.

*Salutaria monita Pontifici a sancto  
Carolo propinata.*

Sanctus Præsul cum piis hisce exercitiis intentus esset, a reliquis omnibus negotiis vacabat, nisi a Pontifice ejus consilia rogaturo accerferetur: tum vero Carolus Gregorium libertate vere Episcopali alloquebatur, eidem exponens, quod regimini Ecclesiæ, cujus curam ei Deus imposuisset, necnon aulæ suæ emendationi toto studio incumberet, ceterosque Episcopos ad partem sui Cleri reformationem, atque ad explendas veri Pastoris partes suo exemplo excitaret: inter cetera autem, quæ eidem suggerebat, consilia, Pontifici auctor extitit, ut quosdam Visitatores Apostolicos ad Diæceses emitteret, atque explorari curaret, quam agendirationem Episcopi tenerent, anve Tridentini Concilii decreta in usum deduce-

Giu. l. c.